DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

AUCTORE JACOBO BRYDON.

A temporibus antiquissimis typhus genus humanum infestâsse videtur, ut auctorum veterum descriptiones, tametsi indistinctae, de morbo, ejus naturâ typho haud dissimili, contagioso, extant.

Ab initio seculi decimi octavi, tamen, typhus magis, quam antea, medicorum attentionem vindicavit, et, ab eorum laboribus, plurimùm exculta est.

Typhus in nostrâ insulâ Britanniâ, aliisque regionibus ejusdem zonae temperatae, morbus

est, hodie bene cognitur. Oritur e contagione specificâ, quae, cum in corpus recepta fuerit, morbum sui similem aliis hominibus, qui viribus ejus noxiis objecti essent, movet.

Typhus in regionibus frigidis maximè valere videtur : est quidem incertum an unquam in tropicis typum sibi proprium ostendat. In his, calor coeli ea effluvia, quae febrem flavam remittentem excitant, potius gignere tendit ; nisi pestis, quae, magis quàm alia febris calidarum regionum, cum typho majorem similitudinem habet, forma Typhi habenda sit.

In hâc insulâ typhus e temperie humili vires acquirit ; nam in mensibus hiemis frigidis, plus valet quàm aestate, quâ rarior fit, vel evanescit ; et versus in autumnis frigidis humidisque frequentior redit.

DEFINITIO.

"Morbus contagiosus ; calor parum auctus ; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens ; urina parum mutata ; sensorii functiones plurimum turbatae ; vires multùm imminutae." In hâc definitione, et sub hoc nomine, omnes febres contagiosas, nisi synochum, Cullenus comprehendere vult ; sed hic quoque, pro varietate tantùm, ut Professori Gregory visum est, haberi debet.

HISTORIA MORBI

Quantum temporis elabitur, postquam homo contagioni objectus fuerit, vel materiam morbificam in corpus acceperit, dum adversa valetudo usque incipiat, inter medicos adhuc pa-

rum constat; hoc pendere videtur, ex proclivitate corporis ad contagionem recipiendam; tempestatis aut coeli conditionibus; vehementiâ contagii; et temperamentis aegrorum diversis.

In quibusdam, post diem primum vel secundum, symptomata; in aliis, non nisi post hebdomadem tertiam vel quartam, apparent; sed plerumque a fine primae ad hebdomadem tertiam mediam, morbus opprimere coepit. Prima symptomata sunt; quaedam lassitudo et debilitas, frequentes frigoris levis et caloris reditus abnormes, percipiuntur; deinde nausea et vomitus, cum doloribus partium corporis variarum, praesertim lumborum et surarum.

Aeger jam vertigine et capitis dolore affligitur; animus tristis et metu dejectus fit, pessima quaevis ominans; mens moesta et exagitata; respiratio laboriosa, cum constrictionis circa praecordia sensu; ventriculus languidus omnes cibos recusat, sed praesertim ex carne confectos. Eodem tempore, pulsus frequens et parvus; lingua sicca aridaque est; sed ae-

ger de siti multùm non conqueritur, quanquam cutis arida est, cum ingrato calore pungenti.

Haec symptomata aliquando mane levantur, sed iterum vespere ingravescunt. Aeger jam parum dormit, et cum forte somnus obrepat, tam parum levaminis affert, quam aeger nescit, et subito diris insomniis excitatur.

Sub finem, tamen, primae hebdomadis, omnia in pejus ruunt; et viribus fractis, de debilitate adeo magnâ conqueritur aeger, ut syncope, cum erectam positionem conatur, urgeat. Horror, vertigo, et capitis dolor magis magisque nunc saeviunt; et tinnitus aurium, delirii precursor, supervenit. Oppressio circa praecordia laboriosa, nausea, vomitus, et dolor partium corporis diversarum vehementiùs opprimunt.

Interdum vultus confusus, et rubescit, albi oculorum vascula sanguine turgida, et indistincta sunt, arteriaeque carotides externae magnopere micant, dum extremitates nasi et aurium subfrigidae reperiuntur; et frons madida sudoribus frigidis et glutinosis est.

Superficies linguae, initio, humida est; jam

arida, et crustâ nigrâ glutinosâ tecta evadit, cum marginibus colorem subfuscum vel fuliginosum habentibus; et, morbo ingravescente, dentes labiaque sorde nigrâ tenui oblita conspiciuntur, et spiritus fervidus, foetidus, ingratusque est.

Urina primò pallida et limpida est, vapidae cerevisiae haud absimilis; sed, in processu morbi, fusca vel nigra, cum foetore putrido, evadit, tanquam sanguis in vesicam effusus fuisset. Omnes nervi tremoribus et vellicationibus multùm affecti observantur. Subsultus tendinum, cum manuum motibus non voluntariis succedit. Jamjam delirium gravius urget, et aeger disjuncta mussitat, et quae nemo astantium intelligere valet.

Stadiis morbi postremis, sanguis sub cutem interdum effunditur, cui petechiae vel vibices attribuendae sunt. Hae petechiae, modo subfuscae, modo lividae, in variis corporis partibus, sed potissimùm in pectore dorsoque apparent.

Tandem, signis omnibus gravioribus factis,

debilitas magis magisque urget; sudores frigidi glutinosique, copiosiores et constantiores fiunt: diarrhoeâ superveniente aeger exhauritur; extremitates frigescunt; subsultus tendinum, singultus, tremores universi, et convulsiones, omnia quae mortem instare testantur, quae miseriis multiplicibus finem imponunt.

Interdum, tamen, hic morbus multò leniùs et lentiùs accedit; et aeger non, nisi post aliquot dies, sese in lecto continet. Quum morbus cursum suum per hebdomadas duas tenuisset, vel diarrhoeâ, vel sudore per totum corpus aequaliter diffuso, remittit; sensumque debilitatis magnae pone relinquit.

DE PROGNOSI.

Symptomatum faustorum et infaustorum vim annotando, prognosis constituenda est. Signa infausta sunt, facies pallida et collapsa, cum musculorum motibus inordinatis; oculi volu-

biles, cum pupillâ magnopere dilatatâ; debilitas adeo magna, ut aeger in latus convertere non valeat, sed supinus jacet, et ad imum lectum delabitur; lingua arida et sordida; deglutitio difficilis; ventriculi debilitas, cum anorexiâ, nauseâ, et vomitu; dejectiones frequentes, cruentae, foetidaeque; hebetudo oculorum, visu imminuto vel prorsus abolito; delirium ferox ab initio, et perdurans; pulsus debilis, parvus, mollis et facilis compressu; cum vertigine, et deliquio animi ex erecto corporis positu; respiratio frequens, difficilis, sine primariâ pulmonum affectione; vox debilis et mutata; sudores frigidi et partiales; faeces et urina insciè redditae; floccitatio; subsultus tendinum, singultus, et convulsiones: Omnia haec, vel saltem horum plura, simul concurrentia, mortem non longè abesse indicant.

Lingua humida et nitida, cupiditate cibi redeunte; pulsus plenior et tardior; sudores lenes et grati per totum corpus aequaliter diffusi; somnus per noctem; delirium cessans, cum do-

loris capitis remissione, spem praebent salutis rediturae.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Inter causas praedisponentes, omnia, quae corpus humanum debilitent et infirment, medici annumeraverunt; sicuti defatigationem, pervigilium, perpotationem, venerem immoderatam; necnon quae animum deprimant, veluti moestitia, moeror, metus fortunae amittendae, tristitia amici defuncti, vita studiosa et sedentaria, constitutio corporis debilis et tenera cum multâ irritabilitate, victus insalubris, &c. Omnia vel plura horum, simul concurrentia, corpus humanum ita debilitant, ut hoc plus causis excitantibus opportunum reddant.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Quaecunque in corpore ita obnoxio hunc morbum excitent, causae excitantes habendae sunt: intemperantia nimirum, frigus intensum cum humore conjunctum, et praecipuè contagium.

Contagio Typhi, virus peculiare, semper ejusdem naturae, rebus tamen adventitiis variatae, et eisdem legibus moderatae, ubicunque valeat, esse videtur. Cum enim Typhus in familiam recepta est, inter omnes constat, ut unum ejus, vel plures aggrediatur.

Aeger morbo Typho implicitus, fons quasi contagii evadit, quod vires acquirit. Quamdiu morbus adest, et certum ad spatium undique, aëra omnibus ejus noxiis implet, qui impurus secum, eas omnibus rebus, cum quibus in contactum veniat, advehit; unde etiam fontes, seu

fomites, ut interdum appellantur, contagii invicem fiant.

Contagio Typhi uno quàm alio tempore potentior potest, praesertim quum locis angustis, impuris, malè ventilatis, diu fota sit; et cum aegrotorum cubicula, ob situm, haud satis mundari possint; et quum faeces non quam citissimè remotae sint, accumulari et contagium generare ita videntur, ut qui iis objecti sint, vix inde immunes obeant.

Ideoque, cum Typhus in domos pauperum recepta est, effectus ejus depopulantes fatalesque sunt. Quae vero natura peculiaris hujus contagii sit, quod Typhum longè latèque diffundit, hodie, quantum novimus, medicis incognitum est.

DE DIAGNOSI.

Quanquam, primâ accessione, Typhus aliis febribus adeo similis est, ut ab iis difficillimè in-

ternoscatur, paulo post tamen notas sibi proprias exhibet, quibus ab omnibus satis dignoscatur.

Morbus solus, a quo summi est momenti typhum incipientem distinguere, Synochus est; quae paucis diebus Typho interdum adeo similis est, ut interdum, etiam doctissimi et peritissimi medici, utra febrium urgeat, accuratè distinguere nesciant. Qui hâc febre corripiantur, eorum vires magis franguntur, magisque animus demissus, quam qui, Synocho. Delirium mitius est; facies pallidior, vultusque magis lugubris; pulsus exilior, debilior, frequentiorque; calor summae cutis minor; sitis minus importuna.

Synochus, per totum ejus decursum, signa graviora, primo diathesin phlogisticam, deinde signa typhoda manifestat: atque prae caeteris robustos invadit. Typhus, contra, laxos, generisque nervosi debiles plerumque infestat.

DE RATIONE MEDENDI.

In hoc morbo curando, tria consilia sese offerunt:

I. Spasmum a vasis extremis auferre.

II. Debilitatis jam inductae occurrrere effectibus: et,

III. Ne humores in putredinem abeant, cavere.

I. Ad primum consilium, duo remedia summis laudibus meritò elata sunt: Emetica nimirum, et Affusio Frigida.

Emetica.—Bene notum est, ut Emetica, cum mature adhibeantur, si non febrem invadentem solverint, saltem leniorem fecerint; nam totum corpus, maximèque genus nervosum, vehementer concutiunt, morboque occurrunt. Nunquam, tamen, post quartum vel quintum diem adhiberi debent; quia febrem tunc discutere

vix possunt, et periculum est, ne a debilitate, quam inducunt, aegro noceant.

Inter emetica remedia, Ipecacuanha et Tartras Antimonii locum primum tenent.

Professor Gregory hanc febrem ab Ipecacuanha, multò saepius et certius autem Tartrate Antimonii, discutere valuit. Haec optimè adhibetur soluta in aqua, et in dosibus parvis repetitis, donec nauseam et vomitum moverit.

Frigida affusio: remedium efficacissimum est, ad hanc febrem discutiendam, et affectus, si sine mora post aggressionem adhibeatur, vel per primum morbi stadium, saluberrimi fuerint.

Post Frigidam Affusionem, arteriarum ictus validiores et tardiores evadunt; calor imminuitur; animus tranquillus et collectus fit; dolor capitis et sitis ferè evanescunt; et aegrotus in somnum quietum reficientemque incidit.

In stadiis morbi provectioribus, calore parum aucto, Affusio Tepida, vel per spongiam corporis Ablutio, magis convenit, ad calorem morbi depellendum, et sudorem eliciendum.

CATHARTICA : conditionem alvi astrictam et oneratam, causam adversae valetudinis satis communem, submovent ; et in Typho imprimis utilia sunt ; nam alvus astricta, plerumque Typhum comitans, symptomata omnia aggravat.

Sunt autem non solùm utilia, ad intestina deplendum ex materia foetida et putrida quae jam in corpore subest, et corpori multàm irritationem dat ; verùm etiam, ad impetum sanguinis caput versus auctum tollendum.

Doctor HAMILTON ita scripsit de remediis purgantibus : " I have directed a strict attention to this practice for a long time, and am now thoroughly persuaded, that the full and regular evacuation of the bowels, relieves the oppression of the stomach, cleans the loaded and parched tongue, and mitigates thirst, restlessness, and heat of surface ; and that thus the latter and more formidable impression on the nervous system is prevented, recovery more certainly and speedily promoted, and the danger of relapsing into the fever much diminished.

" I am disposed to refer the superior utility

of purgative medicines in typhus fever, to the circumstance of their operating through the whole length of the intestinal canal; to their acting upon an organ, the healthy functions of which are essential to recovery, in a manner that is consonant to the course of nature, by propelling its contents from above downwards; and by their moving and completely evacuating the feculent matter which, in this case, becomes offensive and irritating. Constipation, together with the change which fever appears to produce in the fluids secreted into the intestines, seems to be the cause of this alteration in the state of the faeces.

"The purgative medicines which I have chiefly employed in fever, are, Calomel, Calomel and Jalap, Compound Powder of Jalap, Aloes, Solutions of any mild Neutral Salt, Infusion of Senna, and sometimes the two last mentioned medicines combined *."

---

* Vide Hamilton on Purg. Med. p. 35, 39.

Venaesectio. In quibusdam febris casibus, ubi, vel caput versus, vel ad alias partes vitales, sanguinis magna determinatio est, simul cum pulsu frequenti, duro, pleno, capitis dolore vehementi, rubore vultus, aliisque signis nimiae incitationis generalis, sanguis liberè detrahi potest.

Nunquam verò post primum febris stadium missio sanguinis adhiberi debet, nisi signa pneumoniae adsint.

Opium: a quibusdam cum consilio systematis stimulandi datum est: credunt effectus suos Vino quodammodo similes possidere, quibus delirium a debilitate, et sensorii functione turbatâ, exoriens, sublevat.

Effectus tamen felices de virtutibus ejus antispasmodicis et sedantibus pendere videntur; itaque somno conciliando, pulsui tardiori atque validiori reddendo, et spasmis extremitatum, tremoribusque minuendis utilissimum est.

Diaphoretica: in febribus a quibusdam mag-

nopere laudata sunt: et effectus eorum felices ab aliis in dubium reciderunt. Videtur esse verisimile tamen, ut in quibusdam febribus commodo usurpari possint.

In febribus harum regionum continuis, sudatio non comperta est utilis; et quum, a stimulis, et calore externo producta, potius nocet, utpote quae debilitatem auget. Ubi sudor spontaneus erumpit, et non citò levabat, sed potius pulsûs frequentiam duritiamque, anxietatem et spirandi difficultatem, capitis dolorem, et dilirium intendit: frigido aëri in cubiculum praebendo aditum, et cum stragulis leniter aegrum tegendo, eum cohibere necesse repertum est.

II. In peragendo consilio secundo, interim diaeta tenuis et regimen antiphlogisticum nequaquam omittenda sunt: Ptisana, aqua avenacea decocta, et Sago paulò Vino mista, facillimè concocta sunt; et omnes fructus, vel saltem plerique eorum maturi, aegroto grati sunt. "Lac

autem et satis nutriens est, et parum stimuli habet; et natura ascescens, non modo non putrescit, sed corporis putredini obstat *."

Omnium stimulorum et tonicorum quibus in hoc consilio secundo utamur, Vinum sine dubio certissimum, gratissimum, tutissimumque, atque maximè permanens. Vinum quoque ventriculo gratum est, et cum tanto aquae dilui, quantum in parvâ quantitate adhiberi, possit. Ab ejus effectibus pulsus magis tranquillus, distinctus, et plenior, quàm antea, evadit, delirium minuitur, et cutis humescit.

Cum debilitas permagna est, et aegroto Vinum non in promptu est; vel si ventriculo ingratum esset, liquor distillatus, aquâ dilutus et saccharo mistus, qui vernaculo *whisky punch* vocatur, substitui potest.

III. Ad tertium consilium peragendum ventum est.

---

* Vide GREGORY, Consp. p. 330.

Inter remedia, quae putredini occurrant, frigus ex usu maximo est in febribus: munditia quoque, ad iisdem rebus inserviendum, magnopere prodest: Fumigatio, Cinchona, Vinum, Potus Frigidus, et aër purus, nequaquam negligi debent. Purus aër corpus reficit et refrigerat, vires multum labefactas confirmat, et putredini fortiter occurrit.

Nuper, acida mineralia et spuma caerevisiae effervescentis laudatae sunt, utpote quae ventriculi debilitatem tollere possint.

Denique, quum aegrotus convalescere incipit, maximâ curâ utendum est, ne in morbum recidat, corpore ejus debili et teneri manente: et monendus est ut modicâ exercitatione utatur; sed fatigationi, quae semper nocet, cavendum est.

FINIS.